Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Fallit hemonias si quis decurrit ad aquas
Datque quod a teneri fronte revellit equi
Non faciat ut vivat amor medides herbe
Mixtaque cum magicis marsa venena sonis
Phasias esoniden circe tenuisset vlixem
Si modo servari carmine posset amor
Nec data profuerint pallentia philtra puellis
Philtra nocent animis vimque furoris habent
Sit procul omne nephas ut ameris amabilis esto
Quod tibi non facies sola ne forma dabit
Sis licet antiquo nereus adamatus homero
Naiadumque tener crimine raptus ylas
Ut dominam teneas nec te mirere relictum
Ingenii dotes corporis adde bonis
Forma bonum fragile est quantumque accedit ad annos
Fit minor et spacio carpitur ipsa suo
Nec viole semper nec semper lilia florent

[151] 150